horizontem.ſed debet accipi ab illa hora qua radij ſolares inci-
piunt illuminare noſtrum emiſperiuꝫ.quod dicitur principium
aurore.et incipit fulgere vna hora ⁊ quinta parte vnius hore an
te corporalem ſolis ortum

iij Quid ſi quis celebrando non obſeruet tempus debitum — Dubium

Sol. Si obſeruet alia ad conſecrationem neceſſaria conſecrat nihilomi
nus.Sed tamen ſi ex contemptu vel ſcienter tempus debitum
non obſeruauerit mortaliter peccat faciens contra conſtitutio-
nem ⁊ conſuetudinem generalem eccleſie rhomane

Capitulū quintū de dubijs que incidunt circa materialia exteriora que ad ornatū vel ꝯgruentiā celebrationis req̄-runtur.tres continet articulos

¶ Reſoluit quinqꝫ dubia que circa veſtes et indumēta ſacerdotalia inſur
gere poſſunt — Arti.p̄mus

I Utrū ſacerdos celebraturus ſpecialibꝫ debeat indui veſtibꝫ

Sol. Sic.ꝯgruum enī eſt vt quibus ſacerdos vſus fuit in ſua ordina-
tione.etiam vtatur illis in celebratione. Et quia in ſuſceptione
ordinis ſpecialibus veſtibus indutus fuit.ideo ⁊ talibus vti de
bet in celebratione

ij Quot et que ſunt huiuſmodi veſtes vel indumenta.

Sol. Simpliciū ſacerdorū ſex ſunt indumenta.ſcꝫ amictus ſiue hume-
rale.alba.cingulū.manipulus.ſtola.⁊ caſula.

iij Utrū requirat̄ ꝙ talia indumenta ſint benedicta ſiue ꝯſecrata — Dubium

Sol. Sic debent enī eſſe ſacrata mūda ⁊ honeſta.nec alijs vſibꝫ q̄ꝫ eccleſi
aſticis ⁊ deo dignis officijs deputanda

iiij Utrum celebrans abſqꝫ veſtibus ⁊ indumentis benedictis efficia
tur irregularis.

Sol. Non.quia non inuenitur hoc in iure poſitum.verum tamen ſcien-
ter vel ex ignorantia craſſa hoc faciens grauiter peccat

v Utrū neceſſario requirat̄ ꝙ tales veſtes vel indumenta ceteraqꝫ
correquiſita ſint mūda ⁊ nitida

Sol. Sic.nam vt habetur in ca. relinq̄.de cuſtodia euchariſtie.clericis p̄
cipitur vt oratoria. vaſa.palle.corporalia et veſtimenta mūda ⁊
nitida conſeruentur.Quod aūt precipitur imperatur. ⁊ qđ im-
peratur neceſſe eſt fieri.ſi non fiat penam habet.vt habetur .iij.
q.i.ca.quod precipitur.Ue igit̄ illis qui maiorē curam adhibēt
vt ſinthiamina vel proch pudor ſi phas eſt dicere femoralia ſua
ſint mūda ⁊ nitida.q̄ꝫ ea ſup quibꝫ locari ⁊ tractari debet ſacra-
tiſſimū ac mūdiſſimū corpus ieſu chriſti

¶ Reſoluit quattuor dubia que circa vaſa ad celebrandum oportuna oc-
currere poſſunt. — Arti.ij.

I Utrum ad celebratōem miſſarum requirant̄ aliqua vaſa ſpēalia